

Leges Ecclesiae, quae in bonum fidelium spirituale cedunt, benigne lateque esse interpretandas, ipsius Ecclesiae finis evidenter postulat.

368. Feria VI hebdomadae maioris. — « *Feria VI maioris hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre* » (can. 867, § 2).

Itaque feria VI in Parasceve sanis et infirmis, qui sola devotionis causa communicent, i. e. non per modum Viatici, sanctissima Eucharistia distribui nequit.

Usque ad saeculum VII certe, et probabiliter usque ad saeculum VIII, fideles feria VI maioris hebdomadae, sicuti aliis diebus, recipere solebant sacram communionem, etiam Romae, ut constat ex *Ordine romano I*, ex *Sacramentario Gelasiano* aliisque documentis (6).

Saeculo IX huiusmodi usus coepit in desuetudinem abire in Ecclesia romana, ita quidem ut saeculo X vel saltem XI contrariam iam invaluisse consuetudinem ex monumentis historicis constat (7).

Quae consuetudo paulatim recepta est ubique, praesertim post editum a S. Pio V *Missale Romanum* (an. 1570), et post celebre decretum « *De quotidiana communione* » S. Congregationis Concilii, 12 febr. 1679, ab Innocentio XI in forma specifica approbato eiusque auctoritate ac nomine publici iuris facto.

Rubrica *Missalis Romani*, feria V in Coena Domini, haec ad rem habet: « *Hodie sacerdos consecrat duas hostias...; alteram reservat pro die sequenti, in quo non conficitur sacramentum; reservat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit, pro infirmis* ».

Ergo *pro infirmis*, non autem *pro sanis*, asservatur Eucharistia in Parasceve. Cum vero haec rubrica *Missalis expressam* prohibitionem non contineret, nonnulli DD., et numero plures et auctoritate gravissimi, ex. gr. *Suarez* (8), docuerunt, etiam post editum *Missale*, sacram communionem licite fieri posse feria VI in Parasceve.

Cum *Innocentius XI* audivisset, inter alia, vigere in nonnullis diocesisibus usum communionis quotidianae, etiam in feria VI Parasceve, rem commisit examinandam S. Congregationi Concilii, quae, die 12 febr. 1679, approbante SS.mo decretum edidit, in quo haec ad rem leguntur: « *Curent etiam (Episcopi) ut circa communionem in feria sexta Parasceve, Missalis rubricae et Ecclesiae Romanae usus serventur* ».

A tempore huius decreti fere cessavit DD. controversia. Etenim

(6) Mabillon, *Musaeum italicum*, t. II, p. 15 ss.; Muratori, *Liturgia romana vetus*, p. 40 ss.

(7) Amalarius, *De eccl. officiis*, lib. I, cap. XV; Migne, *P. L.*, t. CI, col. 1206; t. CV, col. 1032.

(8) *Loc. cit.*, disp. 80, sect. 2, n. 7.

vix non omnes, uno aliove tantum excepto, docuerunt in praefata feria VI hebdomadae maioris vetari sanctam communionem, etiamsi in hanc diem incidisset festum Annuntiationis B. M. V. (9).

Quidam etiam recentissimi auctores referunt duas sententias, allegantes pro affirmativa *Quarti* (10) et *Tamburini* (11). At uterque auctor scripsit ante decretum S. C. C. an. 1679. Sane *Quarti* vita functus est an. 1650, eiusque opus primo editum fuit Romae an. 1655; *Tamburini* mortuus est an. 1675. Quare neutrius auctoritas, post citatum decretum, iure allegari potest.

Hanc prohibitionem Codex diserte confirmat relato can. 867, § 2.

Distributio communionis, secluso scandalo et irreverentia, sub levi tantum vetita videtur.

Vehementer optandum ut antiqua disciplina hac de re instauretur. Communio quippe est illud divinum convivium, in quo *recolitur memoria passionis et mortis* D. N. Iesu Christi, cuius praecise memoria feria VI in Parasceve celebratur.

369. Sabbatum Sanctum. — « *In Sabbato Sancto sacra communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis* » (can. 867, § 3).

Iure antiquo magna erat controversia, utrum in Sabbato Sancto liceret necne, sanctissimam Eucharistiam fidelibus distribuere.

Quidam, ut *Gavantus* (12), *Benedictus XIV* (13), *Gasparri* (14) alique, negabant, putantes adesse veram prohibitionem, licet minus gravem ac pro feria VI in Parasceve, nisi, attentis decretis S. R. C. (praesertim in *Tifernaten.*, 22 mart. 1806, et in *Mutinen.*, 22 sept. 1837), haberetur contraria consuetudo.

Plures affirmabant, ut *Card. D'Annibale* (15), *Card. Gennari* (16), *Ojetti* (17), *Many* (18), et alii, quia, aiebant, « nullum decretum prohibitivum assignari potest ».

Haec sententia valde communior et probabilior erat, attento potissimum decreto S. R. C. in *Tifernaten.*

(9) Cfr. *Petra*, *In Const. XX Eugenii IV*, n. 11; *Bened. XIV*, *op. cit.*, part. II, n. 166; *S. Alph.*, lib. VI, n. 252; *Gasparri*, *l. c.*, n. 1090; *Many*, *l. c.*, n. 167.

(10) *Rubr. Miss. Rom.*, p. II, tit. X, sect. 3, dub. 3, d. 3.

(11) *Op. cit.*, *De eccl. praec.*, tr. 3, c. 4, disp. 5, n. 4.

(12) *Rubricae Missalis*, part. IV, tit. X, n. 33.

(13) *Loc. cit.*, n. 10 s.

(14) *Loc. cit.*, n. 1090.

(15) *Loc. cit.*, § 406, n. 3.

(16) *Monitore ecclesiastico*, vol. XII, p. 129, n. 37; vol. XV, p. 275, n. 47.

(17) *Synopsis etc.*, v. *Sabbatum Sanctum*, n. 3570.

(18) *Loc. cit.*, n. 167.

Sane proposito dubio: « An liceat in Sabbato Sancto inter Missarum sollemnia sacram Eucharistiam distribuere, et num per eandem sumptionem sacrae communionis praeceptum paschale adimpleatur »; S. C. die 22 mart. 1806 reposuerat: « *Affirmative* in utroque » (*Decreta auth.* n. 2561). Verum quidem est in loco, pro quo quaerebatur, exstitisse consuetudinem immemorabilem dandi communionem in Sabbato Sancto; at quaesitum et responsum abstrahunt omnino ab hac consuetudine.

Item verum est, S. R. C. in *Mutinen.*, 23 sept. 1837, ad idem quaesitum respondisse: « *Negative*, nisi adsit consuetudo »; sed hoc responsum in novissima editione *Decr. auth.* omissum fuit.

Codex sententiam contrariam, saltem ex parte, secutus est.

Eadem S. Congregatio, interrogata « *Quando in Sabbato Sancto distribui potest sacra Communio?* »; — die 28 april. 1914 respondit: « Iuxta praxim et decreta, praesertim *decr. n. 2561 Tifernten.* 22 mart. 1806, *licet in Sabbato Sancto inter Missarum sollemnia sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et etiam expleta Missa* » (*A. A. S.*, VI, p. 196).

Decretum aequivalenter est generale et praescindit omnino a consuetudine aliisque peculiaribus adiunctis. Communio, uti patet ex relatis verbis can. 867, § 3, *inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis* distribui potest.

Ratio, quia Sabbatum Sanctum est dies sub aliquo respectu *aliturgeticus* etiam in ritu latino; et si Missa celebratur, hoc non fit nisi per anticipationem illius Missae, quae antiquitus in vigilia celebrari solebat noctu in memoriam Resurrectionis Dominicae.

Verba « *continuo ac statim ab iis expletis* » ita sunt intelligenda, ut requiratur et sufficiat *coniunctio moralis* inter Missarum sollemnia et Eucharistiae distributionem; quae moralis coniunctio deesse non censetur, etsi alius sacerdos, non ipse celebrans, sacram communionem ministret, aut si pauca minuta iam transierint ab expletis sollemnibus.

Ceterum praefata verba non videntur *veram* et *strictam* prohibitionem continere, vel ad summum *levem* dumtaxat continent, ita ut ex qualibet iusta causa, ex mera quoque devotione fidelibus pie penitentibus SS. Eucharistia licite distribui possit etiam *post expleta sollemnia*.

Nec deest profecto ratio; nam tempus tristitiae ac moeroris cessat per cantum *Alleluia* totaque Ecclesia maxima gaudet laetitia. Porro ut fideles de huiusmodi gaudio participare queant ac spiritualiter frui Paschali sollemnitate, opportuna iisdem facultas concedenda sanctissimam Eucharistiam sumendi; secus deesset omnino, saltem pro nonnul-

lis, plena spiritualis laetitia plenumque gaudium. Quod videtur esse contra ipsius Ecclesiae mentem (19).

Ante Missam sollemnem potestne communio distribui? Plures affirmant, si adest iusta et rationabilis causa, v. g. si exercitia spiritualia terminentur et piaee personae nequeant exspectare Missam sollemnem pro communione faciendam, vel si hora nimis incommoda seu tarda fiant sollemnia et negotiorum causa aut infirmae valetudinis quis exspectare non valeat (20). Haec sententia vere probabilis videtur.

Etiam in iis ecclesiis vel oratoriis Eucharistia distribui potest, ubi legitime asservatur, in quibus functio sollemnis non peragitur, dummodo iusta et rationabilis causa illud suadeat.

370. An Episcopus communionem vetare possit. — Episcopus nequit prohibere quominus iis diebus, quibus ius commune permittit Eucharistiae distributionem, sacra communio ministretur, nisi in casu aliquo particulari ob iustam et gravem causam. Ratio *primi* est, quia Episcopus ageret contra ius commune seu pontificium, quod profecto facere non potest. Ratio *secundi*, quia per modum *exceptionis* in casu *speciali* atque *extraordinario*, illud agere valet *propter bonum publicum*, cum eiusdem tutela sicut recta legum ecclesiasticarum observantia Episcopo urgenda committatur ad normam can. 336, § 1. Proinde lex dioecesana aut decretum generale de huiusmodi referri non potest.

Nec eadem ratione Episcopus indulgere valet ut, contra praescriptum can. 867, distribuatur sacra communio, ex. gr. feria VI in Parasceve.

Quidnam in casu gravis necessitatis, extra periculum mortis? Si revera adsit ista necessitas, Ordinarius potest permittere etiam feria VI distributionem Eucharistiae, remoto scandalo, v. g. pro militibus vel iter diuturnum aggressuris, qui alia occasione communicare non pos-

(19) In schemate Codicis an. 1913, canon 139, qui correspondet can. 867, ita concinnatus erat: « § 1. Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere.

« § 2. Feria tamen VI hebdomadae maioris solum licet Viaticum ad infirmos deferre; sacra autem communio ministranda non est, nisi privatim et graves ob causas ab Ordinario probatas.

« § 3. Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa exigat, salvo praescripto can. 129, § 2 ».

Ut patet, nulla limitatio aut restrictio quoad Sabbatum Sanctum.

In alio schemate eiusdem anni 1913, can. 867 ita redactus reperitur:

« § 1. Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere.

« § 2. Feria tamen VI maioris hebdomadae solum licet Viaticum ad infirmos deferre.

« § 3. In Sabbato Sancto sacra communio potest fidelibus ministrari inter Missarum sollemnia, et etiam expleta Missa ».

Mens legislatoris inde manifesto patet.

(20) Cfr. Ferreres, II, n. 297; Marc, II, n. 1540; Vermeersch, III, n. 420.

sent. Imo in his adiunctis censemus Ordinarii positivam permissionem non requiri.

Quod autem dicitur de feria VI in Parasceve, a fortiori dicendum de Sabbato Sancto.

371. Consuetudo Romae vicens. — Romae ex usu satis antiquo non poterant regulares in suis ecclesiis vel oratoriis distribuere Eucharistiam feria V in Coena Domini.

Quaeri potest, an iure quo nunc utimur, adhuc maneat huiusmodi prohibitio. *Negative* respondemus, tum quia relata Codicis verba sunt generalia prorsus atque explicita, adeo ut nulla supersit solida ratio dabitandi; tum quia ex eodem Codice (can. 859) motivum praefatae prohibitionis cessavit plane, eo ipso quod sublata fuit obligatio satisfaciendi praecepto paschali in propria paroecia; cessante vero motivo, sponte corrui ipsamet prohibitio.

Huiusmodi praxis, attentata praesertim mente Ecclesiae circa communionem faciendam, esset potius in damnum, quam in bonum fidelium; ideoque toleranda non videtur ad normam can. 5. Cfr. n. 367.

Ita in praecedentibus editionibus. Nunc laeti accipimus ex declaratione Vicariatus Urbis memoratam praxim non amplius urgeri eamque penitus esse sublatam.

372. Utrum legitima consuetudo possit induci. — Quaeri potest, an consuetudo legitime induci valeat contra praescriptum can. 867, sive extensiva ea sit sive restrictiva.

Si agitur de consuetudine *extensiva*, ex. gr. ut feria V in Coena Domini, post sollemnia expleta, aut feria VI in Parasceve Eucharistia fidelibus distribuatur, censemus eam legitime posse induci, saltem si centenaria aut immemorabilis sit; neque obstat praescriptum can. 818.

Consuetudo *restrictiva*, puta ne feria V aut in Sabbato Sancto quis communicet inter Missarum sollemnia, aut aliis per annum temporibus nequit induci. Ratio, quia huiusmodi consuetudo minus rationabilis videtur, utpote quae communioni frequenti seu quotidianae ab Ecclesia tantopere commendatae opponitur.

Praeterea, ubi agitur *de actibus mere facultativis*, qui scil. ad libitum poni vel omitti possunt, uti est communicatio in Sabbato Sancto aut feria V in Coena Domini aliisque diebus, omissio actuum, etsi per longissimum tempus protracta, consuetudinem non inducit, nisi « *scienter a communitate cum animo se obligandi* » (can. 28) omittantur. Quae intentio obligationis inducendae numquam praesumitur, et valde difficile demonstratur.